

varios actus, in diversis temporibus vel occasionibus, hominem movere, ut explicatum est.

CAPUT IV.

UTRUM GRATIÆ EFFICACITAS CONSISTAT IN NECESSITATE QUAM INFERT VOLUNTATI, UT NON LIBERE SED NECESSARIO CONSENTIAT.

Puncta presentis difficultatis. — Quæ in præcedentibus capitulis de auxilio efficaci diximus, omnia pertinent ad exactam expeditionem quæstionis, an sit tale auxilium; nam ad illam spectat, tam necessitatem quam varietatem talis auxilii declarare, quod hactenus generatim præstitimus; nunc inquirendum superest quid sit tale auxilium, in quo tria includuntur, nimirum, quænam motio sit, quem modum causandi habeat, et unde quove modo habeat infallibilem connexionem cum suo effectu; quæ tria simul, ut occasio tulerit, tractabuntur, quia non possunt commode disputatione sejungi. Solum adverte ex illis tribus solum tertium posse directe pertinere ad dogmata fidei: nam circa duo prima nihil habemus expresse definitum, ut videbimus, ideoque incipimus a tertio puncto, quatenus in eo cum hæreticis est controversia, ut disputationem inter Catholicos expeditam relinquamus.

1. *Gratiæ efficacitas unde et quo modo habeat infallibilem connexionem cum suo effectu; punctum tertium.* — In puncto ergo proposito, duo sunt errores inter se in uno principio et fundamento consentientes, et in conclusionibus seu illationibus extreme dissentientes. Pelagiani enim, et Calvinistæ ac Lutherani in hoc conveniunt, quod efficacitas gratiæ consistit in quadam necessitate quam Deus infert voluntati, illam libere operari non relinquendo. Unde Pelagius eo colore gratiam negavit, ne libertatem negaret, cui efficaciam et necessitatem gratiæ repugnare credidit; et ideo fingebat se impugnare Manichæos, et similes hæreticos, negantes liberum arbitrium, cum gratiam impugnabat, teste Augustino, lib. 2 contra duas epistolas Pelagianorum, a principio, et aliis locis. E contrario vero, Lutherus, ut refert Concilium Senonen., in principio, nimis anxie fingens vitare Pelagium, factus est Manichæus; et ante Lutherum, præter Manichæos, Priscilianistas, Simonianos, eandem hæresim docuerunt, prope tempora Augustini, hæretici dicti *Prædestinati*, ut refert Faustus, lib. 4 de Grat., capite tertio, septimo et sequentibus; et Wicleph., ut refert

Walden. in Doctrin. fid. antiq., cap. 23; et postea secuti sunt Calvinum Melanchth., Beza, et alii novatores, ut supra lib. 4 retuli; et late Stapleton., in Promptuar. Cathol., feri. 6, in hebdom. 1 Quadrage., n. 4, et in Antidot. ex Actis Apostol., cap. 9, et lib. 4 de Justificat., cap. 1; Bellarmin., lib. 1 de Grat. et liber. arbitr., c. 11, et lib. 4, c. 14; lib. 6, c. 9 et 11; Ruard., art. 7; Roffens., art. 36, contra Luther.

2. *Lutherus qua libertatem arbitrii.* — Omisso autem errore Pelagii, quia in superioribus satis jam impugnatus est, et quia illatio, seu fundamentum ejus explicando concordiam gratiæ cum libertate arbitrii evertitur, de errore Lutheri et Calvinii hoc loco dicendum est. Et ut distinctius intelligatur, revocanda est disputatio ad actum elicited voluntatis, quo illa præbet consensum gratiæ moventi, quem proinde consensum appellabimus, sive sit amor, sive dolor, sive intentio, sive electio, sive alii similes, omnes enim fiunt per consensum voluntatis. Actus autem aliarum potentiarum, etiam ipsius fidei, prout est in intellectu, non sunt liberi, nisi per denominationem a consensu libero voluntatis: in hoc ergo tota disputatio versatur. In hujusmodi autem consensu tres proprietates necessariæ ad actum liberum distinguendæ sunt, scilicet, active fieri a voluntate, libenter seu voluntarie fieri, et cum indifferentia fieri, id est, cum potestate non faciendi illum. Lutherus ergo, ut radicem libertatem everteret, etiam primam conditionem actus voluntatis negavit; dixit enim non fieri ab ipsa effective, sed a solo Deo voluntati immitti, ipsa voluntate mere passive se habente. Inducebatque comparisonem figuli et luti, qua utitur per Jeremiam Deus: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*, cap. 18; et per Isaiam, cap. 45: *Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis? Ad eamque alludit Paulus, Roman. 9, dicens: An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, et aliud in contumeliam?* Unde inferebat, sicut lutum non habet ullam activitatem circa formam quam artifex inducit, ita neque homo in actibus gratiæ, quos a Deo recipit.

3. *Respondetur.* — *Opera nostra quæ.* — Sed hæc sententia, quoad hanc partem, non solum hæretica est, sed etiam stultissima, et ab omni humano sensu aliena. Ut hæreticam ergo damnat illam Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 5, et can. 4, ubi anathematizat dicentes hominem, in conversione sua ad Deum, nihil

omnino agere, sed mere passive se habere; repugnant enim apertissime Scripturæ sanctæ exhortanti homines: *Convertimini ad me*, etc.; quis enim alium exhortetur ad recipiendum, quod a mera voluntate alterius dantis seu facientis pendet, nisi aliquid ipsum agere oporteat? Est ergo illa provocatio ad agendum, sicut et illa Petri, epist. 2, cap. 1: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*; opera enim nostra non dicuntur, nisi quæ a nobis fiunt. Unde subdit: *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando*; et similia verba, et consilia, et præcepta sunt infinita in Scriptura. Ut stultam vero rejicit illam sententiam, quoad illam partem, etiam ipse Calvinus, dicens: *Quis ita desipit ut hominis motionem a jactu lapidis nihil differre autumat? neque vero quidquam simile consequitur ex nostra doctrina: in naturales facultates hominis referimus approbare, respicere, velle, nolle*, etc. Præcipua vero rationis fundamenta, quibus improbanda est hæc pars, ex aliis duabus conditionibus sumenda sunt, quia nec voluntaria operatio, nec libertas actualis, nec liber usus, sine activitate ulla, in sola receptione intelligi possunt, ut mox dicam.

4. In secunda conditione nulla est controversia cum hæreticis; nam evidenti experimento percipimus nos libenter velle, cum volumus, et voluntarie facere quod volumus; unde neque ipsi hæretici inter se in hoc dissentiant, ut existimo, quamvis revera Lutherus, consequenter loquendo et negando activitatem voluntatis in suis motibus, non potuerit voluntarium admittere, cum de ratione voluntarii sit ut sit a principio intrinseco cum cognitione, ut est quasi primum principium in doctrina morali, ut constat ex Aristotele, 3 Ethicor., et D. Thoma 1. 2, q. 6; nam quod ex me non prodit, sed ab alio extrinseco agente immittitur, non potest mihi esse voluntarium quoad ipsam actionem, vel effectum, licet receptio possit esse objective libera, et tunc oportet ut per alium actum a volente elicited sit volita. Quidquid vero sit de imperitia Lutheri, Calvinus, Bucerus et alii novatores non solum admittunt voluntarium in actibus gratiæ, sed etiam eo colore excusare volunt errorem suum in negando libertatem. Dicunt enim hominem libere operari, quia libenter operatur: et in hoc sensu dicunt esse in nobis liberum arbitrium a coactione, non a necessitate, et ita negant in operibus gratiæ tertiam conditionem actus liberi, quæ est indifferentia

potentiæ, a qua proxime procedit, ad agendum et non agendum, vel ad agendum hoc, aut oppositum ejus. Et hæc fuit sententia Calvinii, lib. 2 Institut., cap. 2, § 6, et aliorum.

5. Nec desunt inter Scholasticos, qui ad libertatem simpliciter sufficere putant libertatem a coactione quæ in actu voluntario invenitur, etiamsi libertas a necessitate desit; sic enim Scotus dixit Filium procedere libere a Patre, vel Spiritum Sanctum a Patre et Filio, licet necessario procedant, quia voluntarie producantur; et de amore Beatorum videntur eodem modo loqui; in quam sententiam inclinant Castro, verb. *Libertas*; et Cosmas Philarchus, lib. 2 de Causa Prædest., cap. 16; et clarius Jacob Naclantus, ad Ephes. 1, in digressionem, quod *prædestinatio libertatem non tollat*; et Michael Baius, in suis assertionibus, dixit solum violentiam repugnare libertati naturali, quia aiebat, *quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere fieri*. Et videtur nonnihil favere Augustinus, lib. 1 de Grat. Christi, cap. 13, dicens: *Præceptum libere facit, qui libens facit*, quæ verba in eum finem inducit, ut declaret gratiam efficacem non tollere libertatem, sed augere potius, quia cum magna suavitate facit libenter operari. Unde tract. 26 in Joann., exponens verba Christi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, inde ostendit tractionem libertati non repugnare, quia, si trahitur, voluntate trahitur, neque solum voluntate, sed etiam voluptate. Ac denique in aliis locis sæpe opponit libertatem coactioni, docetque gratiam Dei non cogere hominem, et ideo non tollere libertatem ejus.

6. Sed licet interdum Catholici illo modo loquantur, longe a sensu hæreticorum distant. Illi enim omnino confitentur esse in nostris actibus libertatem indifferentiæ, unde solum cum eis de nomine superest quæstio, an perfectum voluntarium, sine indifferentia, satis sit ut actus absolute possit *liber* appellari. Hæretici vero simpliciter negant indifferentiæ libertatem, et ita tota controversia cum eis est in tertia conditione actus liberi, nimirum ut cum indifferentia fiat, id est, cum libertate a necessitate. Nam hoc est quod Calvinus, Melanchth., Bucer. et alii maxime negant in voluntate nostra a Deo mota. Etenim, licet ipsi generalius loquantur, præcipue vero id contendunt de operibus gratiæ, et de omni consensu voluntatis, quam divina gratia in nobis operatur; unde, quia moraliter tunc dicitur quis agere quando seipsum libere movet, ideo in-

terdum isti hæretici ita loquuntur, ut dicant hominem ita moveri per gratiam, ut ipse non agat, vel potius non se agat, ad eum modum quo Aristoteles, lib. 1 Magn. Moral., c. 22, dixit bruta non se movere, licet physice et voluntarie se moveant. Sensus itaque hujus erroris est, quod sicut bruta necessario naturæ impulsu moventur, cui non possunt resistere, ita homines necessario moventur impulsu Spiritus Sancti de se efficaci, ut nec possint illi resistere, nec aliud facere quam id ad quod impelluntur; et hoc sensu dixit Calvinus, *penes Spiritum Sanctum esse totam actionis efficaciam*. Item dixit: *Voluntatem movet gratia, non ut nullis antea sæculis traditum et creditum est, ut postea electionis nostræ sit gratiæ obtemperare, aut refrigerari, sed illam efficaciter faciendo*. Item hinc dixit voluntatem nostram non cooperari gratiæ, neque esse pedissequam gratiæ, quos loquendi modos etiam in Augustino reprehendit, quia liberum consensum indicant, nam in motibus gratiæ excitantis non dicitur voluntas nostra cooperari gratiæ, etiamsi physice illos efficiat, quia non libere, sed necessario illos efficit; ita ergo de quolibet actu supernaturali voluntatis Calvinus censet.

7. *Ejus fundamentum*. — Fundamentum Calvinus supponit imprimis necessitatem gratiæ efficaci prævenientis voluntatem in omnibus suis actibus, præsertim supernaturalibus, eamque probat eisdem testimoniis quibus Catholici utuntur, et nos supra multa adduximus, quia in hoc generali fundamento non est controversia. Deinde addit Calvinus hanc efficaciam gratiæ prævenientis libertatem esse per veram efficientiam in voluntatem nostram, ita ut illi resistere non possit, quod etiam multi Catholici docent, ideoque, illam sententiam tractando, hujus partis fundamenta afferemus, quia communia sunt. Ex his ergo concludit Calvinus per hanc gratiam imponi necessitatem voluntati, contrariam libertati. Potuit autem illationem probare his modis, primo, quia tunc potentia libere operatur, quando, positus omnibus prærequisitis ad agendum, potest non agere, vel aliud agere; sed voluntas in operibus gratiæ nunquam ita operatur: ergo. Probatur minor, quia unum ex requisitis ad agendum talem actum est gratia efficax præmovens; sed, illa posita, non potest non agere; ergo. Secundo, quia, posita illa gratia, actus necessario fit a voluntate, et illa gratia ponitur ante usum libertatis; ergo inducit necessitatem simpliciter, quia est suppo-

sitio antecedens, quæ libertatem tollit, teste Anselmo, lib. de Concord. prædestinat., etc. Tertio, qua illa gratia datur per voluntatem Dei efficacem, qua vult ut homo cum effectu omnino infallibiliter operetur; sed voluntas Dei necessario infert effectum; nam voluntati ejus quis resistet? ergo. Ex quibus omnibus constat Calvinum solum posuisse in his actibus necessitatem ex suppositione, scilicet, supposita motione gratiæ de se et natura sua efficaci, et in sensu composito respectu illius, quia cum illa motione impossibile est simul poni carentiam actus, et e converso, non posita motione, impossibile est poni actum; motionem autem dari pro libera Dei voluntate sola; et nihilominus ob hanc solam necessitatem dixisse gratiam tollere libertatem.

8. *Error Calvini evertitur*. — Ad hunc errorem confutandum, supponimus imprimis de ratione liberi arbitrii non esse tantum libertatem a coactione, sed etiam a necessitate; hoc copiose et erudite probat Bellarminus, lib. 3 et 4 de Lib. arbitr., ideoque in allegandis testimoniis Patrum non immorabor, sed quædam tantum præcipua et expressiora, ex Scriptura et Augustino indicabo. Primo ergo ex Scriptura, est locus notissimus Ecclesiastici 15: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui; adjecit mandata et præcepta; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi ignem et aquam; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi*. In quo testimonio, quot sunt verba, tot sunt argumenta dictæ veritatis; nam habere rem in manu consilii, nihil aliud est quam habere potestatem eligendi hoc vel illud, juxta proprium arbitrium; ea enim quæ necessitati subsunt, non cadunt sub consilium. Quis enim dicat beatum relinqui in manu consilii, ut Deum videat. Item mandata et præcepta non dantur de necessariis vel impossibilibus; item conditio illa, *Si volueris*, supponit potestatem non volendi, et est illa phrasis frequens in Scriptura. Denique citata verba evidenter includunt potestatem eligendi inter contraria et opposita, quæ cum necessitate ad unum esse non potest. Unde Calvinus et cæteri fatentur hoc testimonium convincere, hominem in statu innocentiae habuisse voluntatem a necessitate volendi liberam, quia de primo homine ibi Sapiens loquitur; nihilominus vero aiunt hanc libertatem, per lapsum humanæ naturæ fuisse amissam.

9. *Refutatur evasio*. — Hanc vero frivolam

evasionem refutavimus in Prolegom. 1; est enim contra omnem rationem, quia libertas illa naturalis est voluntati, et naturales proprietates non fuerunt per peccatum amissæ; nunc vero addimus Scripturam eo modo loqui de hominibus, vel cum hominibus lapsis; nam de homine lapsa loquitur idem Sapiens, Ecclesiastici 31, cum dicit: *Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit; quis est hic, et laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua*, etc. Evidenter enim loquitur de hominibus in hoc statu mortali viventibus, et concupiscentiis ac affectibus temporalibus obnoxiiis: in quo statu dives majoribus periculis et occasionibus peccandi subditus est; et ideo specialiter beatificat et laudat divitem, qui affectu divitiarum non ducitur, et immaculate vivit; per hanc autem laudem et beatificationem, ostendit esse in illo libertatem a necessitate, et potestatem volendi et non volendi, sicut statim expresse subdit: *qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit*. Similiter cum homine lapsa loquebatur lex, Numer. 3: *In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat*; et Paulus 1 Corinth. 7: *Quod vult faciat*, etc., et similia, quibus non tantum libertatem a præcepto, sed etiam indifferentem potestatem volendi et nolendi nubere aperte declarat; et similiter cap. 9 de se dicit: *Non sum liber?* et postea libertatem hanc declarat, quia potestatem habebat manducandi et bibendi ex bonis fidelium, et nihilominus subjungit: *Sed non uti sumus hac potestate*. Igitur erat liber, quia potestatem habebat utendi et non utendi, et hæc est potestas indifferentiæ, quam vocamus libertatem a necessitate.

10. *Hæreticorum alia responsio*. — *Rejicitur primo*. — *Secundo*. — *Illatio Augustini*. — Respondent aliter hæretici hominem quidem, secundum se spectatum, etiam in natura lapsa habere hanc potestatem, tamen in usu per divinam motionem necessitari semper, ut altera potestate definite utatur. Sed hoc multis modis rejicitur, primo, ad hominem, quia etiam in statu innocentiae homo regebatur generali providentia Dei, et indigebat motione ipsius; et nihilominus non privabatur usu libertatis, ut Calvinus, convictus verbis Scripturæ, fassus est. Secundo, quia providentia Dei non destruit naturam, sed juvat illam: nec enim fieri potest ut homo natura sua libertatem a necessitate habeat, et simul ex natura sua peccatum talem providentiam, quæ usum libertatis auferat; quod si illam non postulat, verisi-

mile non est Deum suo tantum arbitrio talem providentiæ modum ordinasse, cum suaviter omnia disponat, Sapient. 8; ex quo recte intulit Augustinus, lib. 7 de Civit., cap. 30, Deum sic administrare omnia quæ creavit, ut rebus singulis suos proprios exercere et agere motus sinat. Tertio, hoc ipsum convincunt prædicta Scripturæ loca, quia non de sola potestate, quasi remota, sed de usu ipso loquuntur; et ideo ob talem usum, vel reprehendunt vel laudant hominem operantem, quia cum tali potestate et libertate hoc et non illud operatus est, cum possit utrumque; loquuntur ergo Scripturæ de homine in hoc statu constituto, et prout nunc de facto operatur, vel motus, vel adjutus a Deo cooperante cum illo; ergo docent, non obstante divina motione vel cooperatione, absque necessitate et cum indifferentia potestatis operari. Et ita exposuit Scripturæ testimonia Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 5, ut statim latius referemus, et aliis modis hanc veritatem confirmabimus.

11. *Libertas ut cohæreat cum præscientia divinas ex eodem Augustino*. — *Necessitas libertati opponitur*. — Solum, quia in contrarium Augustinus allegatur, ex ejus doctrina ad eandem veritatem confirmandam pauca subjiciemus. Nam imprimis de Liber. Arbitr., præsertim in 3, a principio, libertatem adstruit quæ necessitatem excludat, unde cap. 4 ait: *Nulla culpa ostendi potest ubi necessitas dominatur*. Estque attente notandum motum liberum sæpe ibi ab Augustino *voluntarium* appellari, non tamen ex eo solum quod sponte fiat, sed quia tam voluntarie fit, ut, si homo velit, illum cohibeat, et in hoc distingui illum a motu naturali lapidis, quod in potestate (inquit) non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius; animus vero, dum non vult, non ita movetur; et ideo naturalis est lapidi ille motus, homini iste voluntarius; et in eodem sensu dicit in fine: *Motus quo huc et illuc voluntas convertitur, nisi voluntarius esset, atque in nostra positus potestate, nec laudandus esset, neque culpandus*. Et hinc cap. 2 urget difficultatem, quomodo libertas cum divina præscientia infallibili cohæreat, dicens: *Quomodo est voluntas libera, ubi tam inevitabilis apparet necessitas?* quæ difficultas nulla esset, si libertas tantum esset a coactione, ut per se patet. Eodem modo loquitur in lib. de Vera relig., capite decimo-quarto, ubi prius ait peccatum adeo esse voluntarium, ut, nisi voluntarium sit, non sit peccatum. Et hinc concludit dubitandum non esse habere animum